

SENTENTIA
LATATA
AB ILLUSTRIS-

MODVM D. D. HIACYNTO MINVARTE

Episcopo Maronensi Vicario Generali Illustrissimi, &
Excelentissimi D. D. Petri de Urbina Archie-
piscopi, & Proregis Va-
lentini.

*IN CAUSA QUÆ VERTEBATVR INTER
Parrochos & Clerum ciuitatis Valentinae, ex vna parte, &
Religiosos Mendicantes ex alia, circa ingressum Cle-
ri in Ecclesias illorum, dum fidelium cada-
uera in eis sepelienda de-
ferunt.*

VALENTIÆ,

Ex Typ. Claudij Macè, iuxta Seminarium Corp. Christi.
Anno M. DC. LII.

R. 17726 (15)

SENTENTIA

L. A. T. A

AB ILLVSTRISSIMO

MODVM D.D. HIA CYNTO MINVART

Episcopo Maronensi Vicario Generali Illustrissimi, &
Excelentissimi D. D. Petri de Vrbina Archie-
piscopi, & Proregis Va-
lentini


IN CAUSA QUAE VERTEBANTUR INTER

Parruchos & Clerum civitatis Valentinae ex una parte, &
Religiosos Mendicantes ex alia & circa ingressum Clo-
si in Ecclesiam illorum, dum fidelium eadem
nata in eis sepultura de-
fuerunt

VALENTIA

Ex Typ. Claudij Macis, iuxta Senatuum Corp. Christi.

ANNO MDCCLII





T quia meritis presentis processus mature discus-
 sis, & attente perpensis, ac serio consideratis li-
 quido constat antiquis temporibus ortas contro-
 uersias, & materiam questionum ac litium inter
 Rectores ac Clerum secularem presentis ciuitatis
 Valentia ex vna, & Monachos ac Religiosos re-
 gulares Ordinum Mendicantium partibus ex altera, iudicio, ac
 sententia arbitraria admirabilis viri & Patroni nostri S ANCTI
 VINCENTII EFRERII ac Petri Pelegri Ec-
 clesie Parrochialis Sancti Martini Rectoris integerrimi, &
 per Berengarium Descans die prima Februarij 1389, publicata
 fuisse, extinctas, ac sopitas. Constat etiam inter alia quae ex
 praefata sententia deprehenduntur vnum esse, iam multo ante per
 Illustrissimū Dominum IACOBVM EPISCOPVM,
 AC POST MODVM SACRÆ ROMANÆ
 ECCLESIAE PRESBYTERVM CARDINALEM,
 & Valentia Episcopatus administratorem fuisse declaratum alia
 arbitraria sententia, quod Rectores & Clerus Ecclesiarum Parro-
 chialium Valentia cadauera defunctorum, comitantes ad Eccle-
 sias Regularium Mendicantium vbi sepelienda videbantur, vsque
 ad mediam cortem, corralc, siue plateam Ecclesiarum dictorum
 Monasteriorum peruenire possent, ibique sistere, nec vltra progre-
 di liceret: & quia Carmelitarum Ecclesia eo tunc platea carebat,
 vsque ad fores Ecclesie poterant peruenire. Constat praeterea
 quod cum in illo primo iudicio nihil tractatum fuerit de cantu, res-
 ponsorijs, ac alijs orationibus super corpus defuncti recitandis, id in
 hac secunda sententia Sancti Vincentij perfectū est; prouidēdo quod
 ante ingressum dicti spatij siue plateae, & in Monasterio Carmeli-
 tarum ante quam perueniant Rectores, & Clerus ad ostia Eccle-
 siae, debeant, & teneantur super corpus defuncti dicere responsa,
 etiam si aliquod dictorum Monasteriorum in ambitu Parrochiae comi-
 tantis situm fuerit dum in eo tale cadauer sepeliri debeat. Deinde
 asportato corpore ad locum superius destinatum, ne sibi aliquo res-
 ponsorio, aut oratione cantatis, vel recitatis, nisi de consensu, & vo-
 luntate Religiosorum, reuertantur, & inde discedant, & in his
 omnibus reseruatū fuisse Religiosorum beneplacitum certissi-
 mum

127
mum est. Constat similiter præfatam arbitrialem sententiam vim rei
iudicatæ habuisse, & eam fuisse seruata per Clerum secularem
Ecclesiarum Parrochialium præsentis Ciuitatis, cum testes pro
parte Regularium in processu producti, deponant de visu Recto-
res & Clerum asportantes cadauera defunctorum, ad Monasteria
Regularium præcipue Sancti Dominici, vt ibi sepelientur, ante fores
Ecclesiarum, & in locis per sententiam respectiue destinatis, reli-
quisse ac destituisse, indeque omni cantu, orationibus, ac precibus
cessantibus fuisse regressos, hicque vsque ad quadraginta retro
annis fuisse obseruatum parum plus minus ve. Constat post hæc die
17. mensis Decembris anni 1608, Fratrem Hieronymum Alcocer
Sacrae Theologiae Magistrum Priorem, & Syndicum Conuentus
& Monasterij Sancti Dominici, Ordinis Prædicatorum in præsen-
tia, & asistencia Illustrissimi & Excelētissimi Domini Don Ioānis à
Ribera Patriarchæ Anthiochiæ, & tunc Archiepiscopi Valentini,
vice & nomine Conuentus prædicti tribuisse, & concessisse licentiam
permissum, & facultatem Ecclesijs Parrochialibus præsentis Ciui-
tatis, vt dictæ Ecclesijs Parrochiales comitantes cadauera mortuo-
rum in Ecclesia dicti Conuentus tumulanda intro se conijcere
possent, ibique Officium dicere, & celebrare, quomodo, & forma
quibus vtuntur quando veniunt cum Ecclesia maiori, vel cum Ec-
clesia Parrochiali Sancti Petri præsentis Ciuitatis, quæ concessio,
& facultas ingressus Clero concessa vim habeat dumtaxat, dum
beneplacitum, & voluntas dicti Conuentus permanferit, & absque
eo quod Clerus per talem concessionem, & facultatem præjudi-
cium vllum inferat Monasterio nec possessionem aliquam allega-
re possit in posterum. Constat vltius quod rebus sic mutatis, &
in alium statum deductis, paulatim ac indies omnia perturbata
sunt, & non leues controuersia, & altercationes, non sine populi
scandalo, & Dei offentione excitata, non solum in hac Ciuitate, &
Regno, sed in alijs etiam Diocessibus vbi humani generis hostis si-
zania superseminare non desistit. Obidque Sacra Congregatio
Regularium ac Eminentissimi Domini Sancti Concilij Tridentini
Interpretes, ac pro negotijs Episcoporum, & Regularium deputati
omnium similium dissentionum, & scandalorum materiam & oc-
casionem præuidere volentes inter alia declararunt Parrochos Ec-
clesia

cleriorum, & Clerum cadauera mortuorum in Ecclesijs Monasteriorum Mendicantium sepelienda comitantes, Ecclesias præfatas ingredi non posse, sed quod ad fores dictarum, Ecclesiarum præfata deponat cadauera, quod si Ecclesias fuerint ingressi, Regulares peragant officium absque eo quod Clerus secularis, licet præsens se intromittant, in re quapiam cum ab ipsis fratribus illa omnia peragenda esse dum taxat Sacre Congregationis Patres multoties declararunt, & omnia præfata priuilegia, declarationes & concessiones prædictis Regularibus Ordinum Mendicantium edita per Sanctitatem Urbani Octauæ Pontific. Max. anno 1625. fuerunt confirmata, ac per Illustrissimos Hispaniarum Nuncios Apostolicos executioni demandata: quæ omnia, declarationum Iacobi Episcopi: Sancti Vincentij Ferrerij, & consuetudinis præfate similitudinem gerunt. Constat tandem consuetudinem pro parte Cleri contrariam, & allegatam, contrarium usum & firmas juris in processu productas vllum robur ac firmitatem habere amplius non posse, tum quia facultas per Priorem Sancti Dominici concessa, cum beneplacito reseruato, de quibus supra, fuit per dictum Conuentum reuocata, & dictum Instrumentum in quo talis facultas, & licentia erat concessa, fuit cancellata die primo mensis Septembris anni 1646, taliter quod nec virtute prioris concessionis potuisset Clerus consuetudinem allegare introeundi Ecclesias Religiosorum Mendicantium nec ibi super corpora defunctorum exequias celebrandi, minusque stante huiusmodi reuocatione de qua nunc agitur. Tum etiam quia prædictis decretis Sacre Congregationis, confirmatione Summi Pontificis, ac mandatis Illustrissimorum Nunciorum stantibus, nulla consuetudo (quæ potius dicenda est corruptela & abusus) poterit Clericis secularibus suffragari, & attento quod sententia arbitralis, & decreta Sacre Congregationis, vna cum licentia, & facultate per Monasterium Ordinis Prædicatorum dant titulum sufficientem Regularibus, vt consuetudo ab ipsis legitime præscripta tot annorum spatium inconcusse obseruata titularis videatur: attento etiam quod obseruantia, & consuetudo Clericorum secularium non est legitime probata, nec vniformis, tituloque careat, imo potius ortum, & principium habuisse à facultate & licentia ipsi Clero per Monasterium Sancti Dominici concessa, nec talia sunt deducta quominus veniat ad

ad declarandum vt infra, id circo & alias iustitia sic suadente, & ne
in futurum eadem occasio litigiorum resideat inter ipsos, pronun-
tiamus, sententiamus, & declaramus Rectorem, & Clerum Ecce-
siarum Parrochialium, dum cadauera defunctorum comitare con-
tingat ad Ecclesias Religiosorum Mendicantium, vel aliorum eo-
rumdem, priuilegiorum participantium, prættextu tumultandi ipsa in
prænuntiatis Ecclesijs & Monasterijs, vlllo modo Ecclesiarum ianuas
progrediantur, imo ante ipsas deponant cadauera, nec ibidem ca-
nant vel aliquod responsorium recitent super ipsa, statim discedant,
totum enim officium ad præfatos Religiosos vbi cadauera sepe-
liuntur, spectare declaramus, & sententiamus, non solum præmisso,
verum etiam quacunque alia via, & meliori modo quo possumus,
& neutram partium in expensis condemnamus.

Jacynth. Episcopus Maronensis

Vicarius Generalis.

Lata, lecta, & publica fuit huiusmodi sententia de prouisione
ne, & mandato Reuerendissimi domini Officialis, & Vicarij Ge-
neralis Valentia sub die 24. Iulij 1652. per Vincentium Ayerue
Notar. & Scribam maiorem curia Ecclesiastica Valentia, præsen-
tibus, instantibus, & requirentibus Fratre Iosepho Vidal Presbyte-
ro, Ordinis Sancti Dominici, & Fratre Ionne Boleda Presbyte-
ro Ordinis Carmelitarum, Syndicis, & procuratoribus omnium
Conuentuum Religiosorum huius Ciuitatis Valentia, partibus
alteris citatis, & non comparentibus.

Imprimatur.

Mor Fisc. Aduoc.